



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

45 Henrici III. Francorum Regis, & Cardinalis Guisii mors violenta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

constituerat, & deinde dicta decreta edito publico abolevit; & paulò post Missa in eodem regno fuit abrogata, ut post alios, quos citat, testatur Genebr. in Chron. lib. 4. §. *Henricus VIII. Rex, pag. 724.* is inquam, totus mutatus, ac à recta fide, & Apostolica via devians, Joannem tituli Sancti Vitalis presbyterum Cardinalem Roffen. qui hæresibus suis, & erroribus consentire noluit, horrenda immanitate, & detestanda sævitia, publicè miserabili supplicio tradi, & decollari mandavit, ac fecit; nec non alia quamplura, & non minora delicta contra quamplures Prælatos, & Episcopos, aliasque personas ecclesiasticas, etiam regulares, sibi, ut hæretico, & schismatico, adharere reculantes, in eorum personas crudelissima trucidatione patravit, & etiam in mortuos, & eos quidem, quos in Sanctorum numerum relato, universalis Ecclesia pluribus sæculis venerata est, feritatem exercere non expavit. Divi enim Thomæ Cantuarien. Archiepiscopi sacra ossa, quæ in dicto Regno Angliæ potissimum ob innumera ab omnipotenti Deo illic perpetrata miracula summa cum veneratione in arca aurea in civitate Cantuarien. servabantur, postquam ipsum divum Thomam ad majorem religionis contemptum in judicium vocari, & tanquam cõtumacem, damnari, ac proditorem, fecerat exhumari, ipsas sancti corporis reliquias comburi, ac cineres inventum spargi iussit, omnem planè cunctarum gentium crudelitatem superans: cum ne in bello quidem hostes victores sævire in mortuorum cadavera soliti sint, pro quibus, & aliis pluribus suis excessibus Anno Incarnationis Dominicæ 1538. kal. Januarii, per Paulum Papam III. excom-

municationis, & anathematis poena fuit innodatus, ut in Bull. Roman. c. 20. & Genebrar. in eod. lib. 4. *Chron. pag. 723, §. in odium.* Deus tamen omnipotens tanta scelera impunita non reliquit; nam Rex ipse miser perpetuis agitationibus, angustiis, & angoribus fuit acerrimè vexatus; quoniam dimissa Catharina Austriaca, legitima conjugè, flagrantibus admodum libidinis ardoribus, & flammis captus, Annam Bolenam, propriam filiam de adulterio ex Thomæ Boleni conjugè susceptam, ut scribit Hieronym. Polin. in *histor. eccles. lib. 1. cap. 7.* de facto in uxorem desponsavit, quam postea iusto Dei judicio de adulterio convictam publicè decollare fecit, ut eodem lib. 1. c. 38. matrimonium tertio pariter de facto cum Johanna Seimera contraxit, quæ vix annum secum vixit. Quæ mortuâ, Annam de Cleves, quartam desponsavit, ut eod. lib. cap. 45, & 46. quæ repudiata, ad quintas nuptias cum Catharina Hauarda transiit, quam etiam, uti adulteram, poena capitis multavit, & sexto cum Catharina Parra nuptias celebravit, ut eodem lib. cap. 47. & tandem ex viro forti, pulchræque staturæ, in tantam deformitatem corruit, ut ob crassitudinem, neque scalam palatii ascendere posset, & vix portas introire, inter quos animæ, corporis, honoris, & famæ gravissimos cruciatus pluribus annis misererrimam vitam sustinens, ante quinquagesimum quintum suæ ætatis annum, anno sal. 1546. infelicem animam exhalavit, ut per eum Hieronym. Polin. *dict. lib. 1. capitulo 51. relatis* ex tot mulieribus Eduardo filio impubere, qui decimo sexto suæ ætatis anno decessit, ut per eundem Hieronym. Polin. *eod. histor. lib. 2.*

lib. 2, cap. 12, in fine, unicaque Elisabetha filia patris in nihilo meliore superstite, in qua defecit descendencia eiusdem Regis, cuius testamentum neque vires, ne-

que executionem habere potuit, ut testatur idem Hieronymus Polin. in eadem hist. lib. 2, cap. 1, in princ.

DE BONIS CLERICORVM.

Cap. XII.

S Y M M A R I V M.

- 1 Bona, pradia, & possessiones à quo tempore coeperit Ecclesia possidere.
- 2 Constantinus Imperator, quam liberalitatem Ecclesia fecerit, & quantum ecclesiasticis detulerit. Episcopi locum Apostolorum tenent, ibidem.
- 3 Constantini donationem Ecclesia Romana factam fuisse validam, probatur ex pluribus.
- 4 Constantini donatio fuit expressè confirmata, & revocari non potest.
- 5 Constantini donatio fuit à Deo, & toto orbe approbata, ac spiritu Dei peracta, ita quòd contrarium tenentes, non careant hæresis suspitione.
- 6 Otho primus huius nominis Imperator, plura Ecclesia Romana confirmavit, & donavit.
- 7 Idem pro remedio animæ suæ, & filij sui plures civitates, urbes, & oppida Ecclesia Romana donavit.
- 8 Ecclesia Romana plura, & diversa bona suerunt donata.
- 9 Pipinus, & Carolus Imperatores plura bona Ecclesia Romana donarunt.
- 10 Donationes Ecclesia Romana facta per Principes Imperij suerunt confirmata.
- 11 Bonorum tria genera habent clerici.
- 12 Bonis ecclesiasticis clerici sustentari debent, quia altari seruiunt.
- 13 Ecclesia, an bona habuerit tempore Apostolorum.
- 14 Bona ecclesiastica in quot partes dividenda. Communio rerum frequenter discordias causare solet, ibidem.
- 15 Bona ecclesiastica sura pauperum, quorum procuracionem clerici gerunt, & num. 10.
- 16 Papa est omnium beneficiorum dominus.
- 17 Episcopi vocantur in partem sollicitudinis Pape.
- 18 Bona ecclesiastica sunt patrimonium Christi, & Prælatorum, quoad administrationem: pauperum autem quoad sustentationem.
- 18 Beneficij ecclesiastici lege naturali tenentur operibus pijs erogare superflua, & num. 13.
- 20 Decima quare dentur clericis.
- 21 Oblationes quæ sacerdotibus exhibentur,